

non potuit non summum in iis enatci gaudium, summa consolatio atque tranquillitas.

### §. XVIII.

V. Denique Apostolus peccantes in spiritum sanctum, ratione status eorum praecedentis dicit γεντια-  
μένοις δυνάμεις μέλλοντος αἰώνος, tales, qui gustarint virtutes  
futurae aeternitatis. Hic dilpiciendum, quid nomine  
futurae aeternitatis veniat, ac quaenam sint virtutes  
huius futurae aeternitatis, quas fideles persentiscunt.  
Ad vocabulum αἰών quod spectat, sat multas illud ob-  
tinet in graeca lingua notiones, quas adcurate recen-  
set ER. SCHMIDIUS in *Declar. N. T.* p. 198. & Cel. SCHWAR-  
ZIVS in *Comm. Gr. L.* p. 36. Compositum est vocabulum  
hoc ex ἀεὶ et ὥν scilicet χρόνος, monente ARISTOTELE  
*de Caelo I. VIII.* denotat ergo vi compositionis, et for-  
maliter *tempus semper existens, seu aeternitatem*, in qua for-  
mali sua notione apud sacros aequae ac gentiles scri-  
ptores graecos fere ubiuis occurrit, conf. *Io. III. 14.*  
*VI. 58. Cap. VIII. 51. 52. etc.* Improprie haec vox pro qua-  
cumque longiore temporis duratione adhiberi con-  
suevit. Priori ac formalis eiusdem notioni, cum nil  
obstet, hic est inherendum, est ergo μέλλων αἰών futura aeternitas. Jam vero si dilpiciamus, quid rei sit  
futura aeternitas, hominibus, qui in hac fragili ver-  
santur vita, exspectanda, secundum stilum scriptorum  
sacrorum, immo ipsius Pauli nostri, non possumus  
non per eam intelligere eum hominum statum, ad  
quem post hanc vitam sunt peruenturi, ubi vel prae-  
miis, vel poenis aeternis sunt adficiendi, hic enim sta-  
tus per αἰώνα μέλλοντα, seu, quod idem est, per αἰώνα  
ἔρχόμενον, ubiuis, ubi eius fit mentio, indicatur, conf.  
*Mat. XII. 32. Marc. V. 30. Luc. XVIII. 30. Eph. I. 21.* Si itaque  
status hominum post hanc vitam hic significatur, se-  
qui-